



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Theophilus Conf. 10. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

10. Octob. VITÆ SANCTORUM. 635
mum cum sacrificantem in carcere
CHRISTUS spectabilis animasset,
non minus mortis D. Pauli, quam vi-
tæ æmulus, gladio occubuit. Illud me-
moratu dignum, quod abscissum caput
inter Angelorum accinentium comita-
tus, suis ipse manibus passus bis mille
ad destinatum tumulum portaverit, novo
miraculo & funus idem & funeris du-
ctor. Ex Hilduino & opere Marian. Canis.

*Crucifixum intueamur, ut à peccato
sanemur: quomodo qui intuebantur serpon-
tem æneum in deserto, non peribant morfi-
bus serpentum: sic qui intuentur fide Chri-
sti mortem, sanantur à morsibus peccato-
rum. S. August. in Ioan.*

S. THEOPHILUS CONF. 10. Octobris.

HUc oculos & filii & parentes! Spe-
culum commune utrisque hodie
THEOPHILUS esto. Trimulum & sa-
cris undis ablutum parentes pii ad Ste-
phanum Eremitam incolam abduxerunt, pre-
cibus Deo jam tum initiandum. Nimi-
rum adhuc Pueritiam immaturam celo
credemus? Tertio decimo ætatis anno
necdum exacto, sub Stephani vultu fe-
liciter THEOPHILUM Angelus bo-
nus fallens ad mundi contemptum illis
verbis pellexit: *Tolle crucem tuam, & se-
quereme.* Et hodie ad eundem invitare ho-
minem homini non licebit? non licebit
An-

636 VITÆ SANCTORUM. 10. Octob.
Angelum æmulari ? Jam non ignavus
THEOPHILUS, etiam inconsultus
parentibus, ad Stephanum, inde ad
monachos abiit. Atqui nostro ævo (ò
tempora!) facinus est culo dignum, paren-
tes tam piè fallere, & facere quòd lauda-
ta toties olim antiquitas, quòd ipse puer
Christus fecit. Huc itaque, eia! iterum
oculos, hoc in speculo (THEOPHILO
nostro) maculas vestras & filii & paren-
tes corrigite. Correxere certè THEOPHI-
LI parentes, & rectius sapere edocti, quo
mundum fugienti alas adderent, ipse
cœnobium filio struxerunt; factumque
hoc cælum probavit, cùm suâ voce fi-
lium illuc evocavit. Inde vi extractus,
multaque sub sacrarum imaginum hos-
te Leone passus, sed ad extremum dimis-
sus, nil magis doluit, quàm ereptam
sibi, quam manu jam jam prehenderat,
martyrii palman: quamquam neque hanc
illi negasse Superos existimo. Magnum
enim longumque oppidò martirium est,
mundo mori. *Ex Menais.*

*Reduc ad animum prosperitates tempo-
rum, multitudinem hominum, dignitatum
pompas, divitiarum abundantiam. At-
tende hæc omnia, ubi vel quid facta
sunt: & ex hoc pensa, quòd nulla sint,
& quia qui ista deligit, somnium wigi-
lans vadet. S. Greg. l. 7. Regist.*

S. IOAN-